



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Communis vita magna iam apparet, si bene seruetur. 13

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

& in hominibus sanctis non tantum corporalem aspectum, quantum diuinam in eis gratiam intuens, spiritualiter eos ubique diligit & veneratur. Nonne & prædictorum duorum Patrum sententia meminit, quòd ideo Iesus Christus suam nobis corporalem subtraxit præsentiam; vt fide coleretur potius quàm oculo, & spiritu ac mente arctius diligeretur quàm aspectu? sicut idem ipse Dominus noster ait: *Nisi abiero, paraclitus non veniet. Expediet enim vobis, vt ego vadam.*

Ioan. 6.

11. *Congratulatio ad piè defunctos.*

CUm ergo tollitur à nobis spirituales amici, si sequitur Christum ad caelos ascendentem, congaudendum erit vtique eis, quia vadunt ad Patrem, quia illam caelestem mansionem accipiunt, ad quam nostra peregrinatio in hac valle lachrymarum toties suspirat. Si verò aliqui adhuc differuntur à regno, pro paruulorum eos nimirum consolatione viuere credendum est, quibus lac spiritualis consolationis opus est.

12. *Consolatio spiritualis hominis.*

Qui autem ad tantam gratiam peruenire potest, vt sine humano solatio etià & solus viuere dulce habeat, gaudeat quoniam quanto exterius minus querit, tanto vberius intus per spiritum consolari merebitur. Huiusmodi hominis est, iugi meditatione diuinæ legis cuncta terrena obliuisci, & ardenti mentis desiderio beatorum gaudijs interesse, ac omnem consolationis suauitatem in illa beatitudine constitueret atque ex hinc frequenter haurire fluentia deuotarum lachrymarum, quæ ipsi etiam præ amoris magnitudine dulces sunt, quemadmodum sanctus Dauid ex desiderio videndi Deum loquitur: *Fuerunt mihi lachryma mea panis die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus? Quam bonum est homini sic esse! sed non sine labore & custodia sui poterit diu sic esse. Multa sunt enim, quæ hominem à suo proposito retrahunt.*

Psal. 41.

13. *Communis vita magna iam apparet, si bene seruetur.*

Sed tamen magnum pro nunc videtur, si quis communis vite sequens formam nullos superfluos exitus & circuitus faciat licet propter grauitatem vite, quandoq; necessarios egressus deuotare aliquid maius sit. Qui adhuc largioribus indigent consolationibus, non sunt despiciendi, nec fragendi: fortè expedit aliquibus, vt parumper de aere rapiant. Quia si omnem perdidissent
humanam

humanam consolationem, cum diuinam nondum idonei sint perfectè capere, consumentur tædio, & affligentur plustquam oportet, nescientes viam fortium imitari. Tu autem ascende modicum altiùs, & sic compatere aliis, vt imitari tamen eorum infirma non velis. Strictiora tamen & grauiora, quàm portare sufficias, non approbo; sed secundùm facultatem tuam, secretum & solitudinem, vt religiosiùs vaces, propono.

Infirmorū
habeatur
ratio, quo
ad solatia
pertinet.

14. Signa deuotorum.

Bonum signum deuotionis est, cellam amare, vel alterum locum aptum ad vacandum Deo expetere, ne impediatur spiritus in oratione vel meditatione cælesti. Amabilis talis vita, non onerosa. Siquidē deuotis mentibus omnis locus secretus aptus & placidus, & omne tempus breue ad exercitia spiritualia.

Spiritualis
homo se-
cessum
amat.

15. Tentationes deuotorum.

Forte aliter interdū sæpè experiuntur: & eis quælibet dulcia & leuia, in amaritudinem & tædiū vertuntur. Cum ergo talia superueniunt, non idcirco priora bona postponere debent: nec putare quòd Deo displiceat propositum sanctum: sed cogitare quàm utile sit, vt quandoque parum tribulentur, & probentur à spiritibus malignis, & sic per patientiā fructus bonos afferant. Admonentur per hæc quoque, de cætero fieri solictiores ad tolerantiam aduersitatum, quia non tantum in quiete, sed etiam in tribulationibus & tentationibus, Deum diligere & laudare, gloriosior profectò via perfectionis est ad eternam vitam.

16. Reprobatio temporalis solatij.

Quid potest boni conferre homini, breue & inane foris solatium? Aut quid, postposito creatore, capietur de creatura iucunditatis? Nisi per creaturam quærat ascendere ad conditorem, laborabit, nec satiabitur anima eius. De consensu, creatoris ad amandum creaturas exire licet, de sensu verò carnis at- trahere delectationem, vetitum est spiritui.

17. Commendatio dulcedinis cælestis, qua est in Christo Iesu.

Agnosce Sponsi cælestis speciem, & aduerte dignitatem amoris tui; quia quicquid præter ipsum amaueris, non implebit te, sed fugiet abs te. Fugit omnis gloria terrestrium, & propinatur amantibus eam fel & acetum in nouissimis. Saturitatem nõ habet mundus, neque olei suauitatem. Iesus autem dulcedo ineffabilis, & totus desiderabilis, qui suos consolatione internæ pacis in præsentem frequenter visitat, & in futura vita satietate mirifica adimplebit.